18248 N. 24 Lane Medical Library

DE SCARLATINA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI TRIBUANTUR

DIE XXVII. M. MAJI A. MDCCCLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAV. FERDINAND. HERTZOG

SAXO.

OPPONENTIBUS:

A. RUENGER, med. et chir. Dd.
G. BEYER, med. et chir. Dd.
B. KAULICH, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

FRATRI

CARISSIMO

LUDOVICO XERTZOG

MATHEMATICO

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Dissertationem inauguralem, qua summos in medicina et chirurgia honores assequar, conscripturus, postquam, majore argumentorum parte multum trita, diu haesitaveram dubius, materiem disserendi elegi scarlatinam, non ut tot libris de hoc morbo in lucem editis novi aliquid adjiciam, sed quod medico tironi, quippe qui ampla careat experientia, id argumentum eligendum est, quod plane diligenterque scrutatus cognovit. Itaque de scarlatina, quam saepissime atque diversissimis formis observare mihi contigit, quae in isto morbo ipse compererim, si fideliter refero, non omnem operam me perditurum esse spero. Nec ignoro, opusculum meum erroribus laborare, quorum magnam partem in rei difficultate positam arbitror; quare vehementer a lectore benevolo peto, ut indulgenter dijudicet medicum tironem.

DEFINITIO SCARLATINAE.

Est febris continua, cujus die secundo, interdum serius, exanthema colore scarlatinoso in pharynge, facie, collo apparet, quod inde per totum corpus diffunditur intraque septem dies in desquamationem transit. Quam febrem renum, saepe etiam colli aut visceris cujusdam affectio comitatur excipitque eam saepe hydrops. Contagio imbuta, aut epidemica, aut sporadica exsistit; semel eam perpessi tuti sunt.

HISTORIA MORBI.

Graecos et Romanos, quin Arabes, ut nonnulli contendunt, hunc morbum novisse, in dubium vocandum est, quamquam pluribus e locis, quos apud Rhazem invenimus, explicare possimus, scarlatinam ab Arabiae medicis cum morbillis esse commutatam. Primus autem auctor, ut Hildebrand et J. Frank dicunt, Ingrassias fuit, qui propriis observationibus munitus, scarlatinam declararet proprium a morbillis alienum morbum esse. Nam in libro „de tumoribus praeter naturam“ inscripto, mentionem fecit epidemiae, quae fere ineunte decimo sexto saeculo Neapoli saeviit, atque ita dilucide scarlatinae, quam hodie dicunt, decursum et symptomata

designavit, ut illum morbum nullum alium nisi scarlatinam fuisse credere oporteat. Neque minus arbitratur Forestus, epidemiam, quae eodem fere tempore Amstelodami regnavit, et a Tyengio descripta est, scarlatinam fuisse; item Schenk annis 1564 et 1565 per Germaniam dimanasse eam suspicatur, et Ballonio auctore, epidemia nostri morbi anno 1581 Parisios tentavit. Haud multo post etiam in Hispania exstitit, ubi de Heredia eam pro „angina maligna“ habebat. Dehinc multae ejusdem morbi epidemiarum descriptiones proditae sunt, tamen de morbi ratione atque symptomatibus valde inter se discrepant. Inprimis diligentem scarlatinae descriptionem Sennert edidit (1619), deinde Winkler (1642), praecipue vero Sydenham, qui epidemiam mediocriter blandam (1667—1673) vidit, cum ea, quam Morton commemorat, multo vehementior fuisse videatur.

Saeculo duodevicesimo increbruit morbus et maximis depopulationibus, quas inferebat, medicorum animos in se convertit. Hi propriam ejus naturam magis magisque investigabant, et qua ratione, quibus symptomatibus a ceteris morbis exanthemate conspicuis, praesertim morbillis atque rubeolis, differat, definire conabantur.

Nostris temporibus febris scarlatinosa in omnibus Europae regionibus, tum diffusa, tum sporadica apparet, quamquam singulae epidemiae inter se differant vehementia atque incremento; calidioribus autem in terris character epidemiae praevalet, quae, magno temporis

spatio elapso, denuo revertitur. Quod attinet ad anni tempus, saepissime sub veris finem et aestate scarlatina exsistit, eaque maximam partem benignior.

DECURSUS.

Quum scarlatina, quod ad ordinem, decursum et exitum pertinet, tantam varietatem praebeat, primum normalis decursus imaginem adumbrare liceat.

Secundum symptomata scarlatinae in ejus decursu tria, aut ducibus auctoribus quibusdam quattuor stadia discernenda sunt, primum invasionis, quod exanthema antecedit, alterum exanthematis, cujus stadii subdivisionem in eruptionem et acmen exanthematis nonnulli statuunt —, tertium desquamationis. Quae stadia cum normali morbi decursu admodum perspicue discerni possint, in formis irregularibus complicatisque, de quibus infra exponemus, aut miscentur aut omnino latent.

1. Stadium invasionis offert haec signa. Aegroti admodum lassi de dolore frontis premente et gravante, aut de temulentia capitis queruntur. Cujusque cibi appetentia abest, cujus locum saepenumero anorexia excipit. Observari solet horror (interdum etiam breve per tempus cutis anserina), quem ingens calor sequitur, pulsusque admodum acceleratus, sitis ardens, dolor capitis intensus, rubor atque dolor in partibus colli interioribus ideoque deglutitio difficilis. Etsi haec symptomata, ad quae saepe oculi vasorum hyperaemia et photophobia accedunt, constanter observamus, tamen in casibus vehementioribus anorexiam, dolorem in dorso

et extremitatibus obtusum, agrypniam, quin etiam vomitum, deliria, convulsiones invenimus. Nullo vero in casu febris abest, quae saepe mediocris, interdum vehementissima est, ita ut cutem aridam ferventemque, pulsus celerrimos plenosque, faciem turgidam vel sugillatam deprehendamus. Hoc tempore si intueris interna oris atque faucium integumenta, magnam pharyngis rubedinem, cum tonsillarum tumore conjunctam invenies, ita ut choanas narium quasi obstructas esse aegrotantes credant, interdum etiam raucedo oriatur; porro linguae basin albo aut flavo muco tectam videmus, margines vero et apicem rubros, prominentibusque papillis fere filiformibus instructos. Sed has partes cum accuratius, praesertim lente vitrea, contemplatus eris, singula puncta animadvertes plus minus dispersa, quae acuum capitula aequant magnitudine. Quae puncta in iis quoque locis, quae nondum rubedinem ostendunt, interdum apparent, et tum certo augurari possumus, etiam haec loca brevi tempore rubedine scarlatinosa fore obtecta; sunt enim puncta illa prima scarlatinae initia, elementa ac semina.

Praeterea alvus est obstructa, urina parca et sanguinolenta crebrius missa, interdum jam in primo stadio albumen continet.

Hi prodromi plerisque in casibus per horas viginti quattuor durant, nonnunquam per longius temporis spatium, exanthemate tum tertio vel quarto die apparente. Neque raro symptomata febrilia aut tam parvi sunt momenti, ut vix a nobis animadvertantur, aut brevissimo

tempore antequam angina aut eruptio exanthematis incipit, oculis nostris se offerunt.

2. Stadium secundum die morbi secundo, exanthemate erumpente incipere solet, interdum autem jam primi diei vespere. Paucis casibus exceptis, exanthema primo in facie ac collo, ubi omnino obscurior quam reliquis in corporis partibus color, apparet indeque, febri pariter perseverante, in totum corpus progreditur.

Eruptio fit tali modo. Innumera punctula rubro colore, rosea in basi sita, evadunt, quae super cutis planitiem edita esse neque oculis neque digitis cerni potest. Haec puncta, quae magis rubra et regularia quam morbillorum sunt, mox in rubras itemque laeves mutantur maculas, quae magis dentatae quam rotundae, primo inter se discretae, denique magnitudine et amplitudine crescentes confluunt ita, ut totius cutis color paene cinnabarinus esse videatur. Rubor digito comprimente evanescit, sed paullo post pressione sublata ex peripheria centrum versus redit. In tanta cutis commutatione ipsa valde ardens, arida, magis solito aspera reperitur, interdum propter sanguinis congestionem et impetum praecipue in collo, facie et extremitatibus turget; at dolor in eadem nunquam sentitur.

Interea oris atque faucium rubedo magis magisque augetur, sicuti tonsillarum et glandularum adjacentium intumescentia magnum incrementum capit, eoque etiam exteriorum colli partium tumor efficitur. Qua interni tumoris magnitudine deglutitionis summae difficultates nascuntur, vox impedita est, saepissimeque

spirandi difficultates ita auctae, ut aegroti in summo vitae periculo versentur, quod magnis pectoris angustiis et inquiete aegrotorum cognoscitur. Interdum lingua, e marginibus centrum versus tunicae mucosae jactura facta, colore rubro-subnigro nitido utitur, eaque re politam quasi et papillis prominentibus fragorum similem, ut ita dicam, speciem habet.

Tandem tertio aut quarto die exanthema summum efflorescentiae fastigium obtinet, quod in regionibus iliacis, interioribus femorum lateribus flexurisque articulorum maximum exsistit. Animi pathematis, v. c. apud infantes cum clamorem edunt, exanthema magis rubescit, item vespere et noctu, interdiu pallescit; auctis quoque febris symptomatibus omnisve affectionis vehementia non minus cutis rubedinem augeri videmus.

Facies vehementioribus in casibus anxietatem et depressionem magnam praebet; ardor cutis pungens maximaque colli affectio plurimum afferunt, ut deliria atque agrypnia accedant; et quod ad colli affectionem attinet, telae cellulosae intumescentia, exsudatio in inflammata tonsillarum ac pharyngis superficie facta, sicut secretio tenax eaque parca glandularum salivalium maximis aegrotum cruciatibus afficiunt. Eodem tempore sitis molestissima, respiratio accelerata ac difficilis, pulsus celerrimus, plenus, magnus, compressu facilis; porro alvus obstructa, quamquam interdum modica diarrhoea, conjuncta cum doloribus colicis, aegro supervenit; urina parca, flammea, interdum albuminosa, denique spiritus omnisque exhalatio proprium edens

odorem, qui difficilis definitu, semel cognitus vix ignorari potest. Quem odorem Heim et alii designare sunt conati.

Diebus quinque vel sex vel octo elapsis, serius igitur quam in morbillis, exanthema nostri morbi pallescere incipit, primum lividum, deinde aut pallido-roseum aut cupreum colorem induens. Oris tantum et faucium membrana mucosa adhuc rubrum colorem retinere solet saepeque tunc demum lingua talem speciem prae se fert, qualis supra demonstrata est. Deminuitur quoque colli intumescentia et intrat:

3. Stadium tertium, desquamatio. Quae non solum in formis irregularibus et complicatis, verum etiam normali morbi decursu variis temporibus incipit; febris enim atque exanthema si mitiora fuerunt, quarto jam vel quinto die desquamationis initium observatur, id autem in casibus, qui modo acriori decurrerunt, nunquam fit ante sextum vel septimum aut nonum morbi diem. Interdum desquamatio furfuracea antequam evenit, febrilia symptomata modice exacerbantur, comitante aut diarrhoea aut epistaxi aut urina jumentosa, aut copiosa transpiratione, quae proprium illum odorem edit, aut apud mulieres haud parca menstruatione. Inter desquamationem affectio colli etsi decrescit, externa tamen intumescentia quominus cesset, exsudationes internae per longius adhuc tempus obstant. Neque minus febrilia symptomata in hoc stadio diminuuntur, arteriarum pulsus enim minus concitatos, minus plenos atque frequentes invenimus, linguam puram, adhuc tamen ru-

bram, neque pristinus color ejus redit, nisi tota colli affectio sit remota.

Sensim cutis superficie expallescente, epidermis in trunco albidis squamis parvis, majoribus vero in extremitatibus secedit, et fit eo major desquamatio, quo major et profundior rubor cutis antea fuerat. Ex illis partibus, quas primas exanthema occupaverat, ordiens eadem, qua eruptio, ratione progreditur, et intra septem dies finiri potest, quanquam saepius duodecim vel quattuordecim dies duret. Interdum fit, ut duabus vel tribus hebdomadibus, postquam cutis rubedo evanuit, desquamatio demum incipiat.

Transpiratione simul ad regularem modum redeunte, convalescentia aegroti laetantur, quae affectionibus scarlatinam sequentibus, quarum infra mentionem faciam, ne differatur aut plane impediatur, medicus semper diligentissime caveat oportet.

FORMAE MORBI IRREGULARES.

Nullus fere est morbus, qui tantas varietates, quantas scarlatina, praebeat, easque non solum singulis in casibus, quae passim videntur, verum etiam cum ejusdem familiae membra morbo affecta sunt; quin singulae epidemiae, uno vel altero symptomate praedominante, inter se disjunguntur. Quae formae anomalae eo attentiores nos reddunt, quod eas creberrimas, interdum per longam annorum seriem praevalentes, hominumque vitae infestissimas invenimus. Varietates earum ut plurimum referendae sunt

primum ad exanthema

deinde ad febris intensitatem

tum ad affectiones, quae aut cum scarlatina conjunguntur, aut eam excipiunt.

I. Quod attinet ad primum momentum, haec observata sunt. Exanthema in singulis tantum partibus corporis, maculis rubris consistens, apparet. Rubor ejus aut ad summum gradum auctus, aut plane pallidus invenitur, saepe totum per corpus aequabiliter diffusus. Interdum ei immixtae sunt aliae exanthematum species, uti papulae, miliaria, raro pemphigus, quare scarlatinae miliformis, papulosae vel phlyctaenodis nominibus utimur. Omnino in formis, quibus vitae periculum imminet, exanthematis color in obscurum et lividum transiens virium depressionem atque depravationem sanguinis manifestat simulque, id quod in malae indolis epidemiis semper fere accidit, petechiae aut ecchymoses per cutem diffunduntur.

Praeterea varium decursum variamque diuturnitatem exanthema praebet. Ut enim, quod supra diximus, vel prius erumpere, vel serius debito evanescere potest, sic interdum typum quasi sequitur remittentem, quo, postquam passim evanuit, denuo adauctis plerumque febris symptomatibus, nostris oculis offertur. Denique perfrigerium, aut complicatio aut alius quidam, qui accessit, morbus efficere potest, ut exanthema subito aufugiat.

Exanthema plane abesse posse in scarlatina, multi dubitant, alii contra viri clarissimi, sicuti Huxham,

Fothergill, Dance affirmant. Interdum enim iis contigit, ut, pluribus ejusdem familiae membris scarlatina affectis, in uno aegroto omnia morbi symptomata, angina, desquamatio etiam et hydrops consecutivus observarentur, sed per totum morbi decursum cutis alba, et mollis et aspera, ut cutis anserina, nunquam rubesceret. Et nihilominus scarlatinam hanc declaramus affectionem, praesertim quum videamus, etiam per tali modo affectos contagium posse propagari ad alios homines, qui in scarlatinam veram, exanthemate conspicuam, incidunt. Williams animadvertit, saepe in omni scarlatinae epidemia nonnullos homines vehementi febri, quacum angina erat conjuncta, correptos sese vidisse, eosque, ante illud tempus scarlatinam nondum perpessos, in perpetuum tunc tutos mansisse.

Quin etiam nonnulli auctores scarlatinam quasi latentem statuunt, in qua etsi praecipua duo morbi symptomata exanthema atque angina absint, tamen reliquis familiae membris scarlatina aegrotantibus, aliqua affectio quamvis mitissima, cujus ratio non habita est, affuit, quae cum abiit, repentinus exsistit hydrops, nulla alia causa oblata.

II. Sicut universae febris, ita scarlatinae, quam nonnulli etiam febrem scarlatinosam nominaverunt, discernuntur species tres:

una Scarlatina erethica, sive simplex,

altera Scarlatina synochalis, sive inflammatoria,

tertia Scarlatina torpida, sive maligna,

quarum duas, diversos tantum scarlatinae regularis gra-

dus, jam describere supra sum conatus; restat, ut de tertia specie disseram.

Scarlatinae torpidae, cui prioribus temporibus, cum ejus natura minus nota erat, Anginae sive Cynanches malignae nomen inditum erat, stadia omnia irregulariter decurrunt. Etiamsi ex inflammatoria specie sensim evolvi aut, postquam tantum initio indolem praebet inflammatoriam, subito typhosam induere potest, tamen praesertim auctumno et hieme, sicuti in hominibus infirmis animoque depressis, ab exordio asthenica symptomata ostendere solet. Praecedunt plurimum lassitudo, debilitas, morositas, tristitia, vertigo; sequuntur horror et horripilationes, saepeque si morbus gravior est factus, frigus vehementissimum, ad quae capitis calor et dolor acutissimus, anxietas, pectoris oppressio, vomitus vel diarrhoea accedunt.

Angina, propter quam collum calidum summisque doloribus affectum, cervicem immobilem, faciem ardentem aut turgidam, interdum quoque pallidam et collapsam reperimus, celeriter in ulcerationem transit; dum colli dolor obscurior fit aut lividus, exsudata, quae ulcera faucium gangraenosa obtegunt, cinerea vel subnigra videntur, ideoque spiritus foetidissimus aërem ambientem corrumpit. Pulsus hoc tempore, qui inflammationibus propriis contrarii sunt, stridentes et parvi, celeres et frequentissimi, adeo ut fere centum et sexaginta intra singulas horae minutas saepe observemus, nonnunquam molles et pleni, semper vero debiles nec ordinati; venaesectione facta, sanguis non solidam placentam osten-

dit, sed gelatinosam retinet indolem. Urina primum cruda, lactis seri instar, morbi progressu aut flavida aut turbida fit, eique nonnunquam corpuscula sanguinis admixta sunt. Interea perspicua febris torpidae symptomata continuantur; inquies etsi aucta et cutis calida et os labiaque arida sunt, tamen sitis est minima.

Exanthema saepe secundo vel tertio morbi die erumpere demum incipit, sed maxime proclive ad evanescendum, omninoque irregulare, potissimum adjunctis petechiis aut rarius oedemate accedente, saepenumero etiam colore est subnigro aut livido. Quod tandem si adest, interdum vomitus et diarrhoea desinunt, mox autem glandulis salivalibus simulque cum iis collo ac cervice tumefactis, non solum summi dolores commoventur, sed etiam suffocationes, quae jam nunc lethales esse possunt. Hae glandulae adhaerentem salivam secernunt, per nares et os acris materia fluida editur, quae efficit, ut labia malaeque aphthis obtegantur. Quam materiam acrem in faucibus et pharynge exsudatam si deglutiunt aegroti, sequitur diarrhoea, ani excoriationes efficiens. His in casibus pharyngem ulcera tegunt phagedaenica, quae tam profunde penetrant, ut interdum vel ad vertebras pertineant, et tam late pateant, ut tum larynx ac trachea, morte suffocatoria subito irruente, tum oesophagus, quare molestissima summeque dolorifica deglutitione fluida per os sumta per nares repelluntur, tum tubae Eustachii afficiantur aurisque interna, quo facto non solum superioribus faucium partibus, sed etiam ossiculis auditus et tympani membrana

exulceratione destructis, ichor foetidus et exedens ex aure profluit.

Sed majores adhuc progressus morbus facit. Exanthemate rursus cutem relinquente, oculis nitore solito destitutis pupillisque contractis, praesertim in infantibus coma exsistit aut sopor, vel, quod adultis saepius accidit, suspiriis mixta deliria, etiam furibunda, quae aut totum per diem continuo durant aut remittunt. Haud raro convulsiones et musculorum oculi et extremitatum ad tonicos spasmos provectae funestorum illorum symptomatum seriem augent. Quae signa cerebralia comitantur secessus inscii faecum et urinae, quarum alterae fluidae et foetidissimae, interdum sanguinem continentes sunt, altera turbida atque subfusca; contra alvi et urinae excretiones nonnumquam oppressae. Praeterea cutis frigescit, cujus partes pressae sphacelo corripiuntur, lingua fit fusca, arida, dura, respirationem molestissimam crebri singultus interrumpunt, facies Hippocratica apparet et aut subitanea per pharyngem angina affectum asphyxia, aut cerebri compressione, quam fluida in membranas serosas effusa exercent, aut pulmonum congestione, aut virium exinanitione mors tristis tristi morbo succedit.

III. De Scarlatinae complicationibus morbisque secundariis.

Sicut jam supra memoravimus, anginam scarlatinosam aut epistaxi, quae, si levioribus in casibus apparet, aegroto levamen, sin in vehementioribus, medico triste

omen praebet, aut laryngitide et colli phlegmone conjunctam esse posse; sic etiam pulmonum congestione pneumonia, quae dicitur hypostatica, febribus typhosis propria, sic pleuritis, pericarditis et peritonitis, praesertim cum hydrops anasarca sese ostendit, et complicationes scarlatinae et sequelae nobis occurrunt.

Majoris vero momenti, quod ad morbi nostri pathologiam pertinet, affectio est, quam remotiorum tubi intestinalis partium tunica mucosa nobis praebet. Quarum partium affectiones prioribus jam medicis mali ominis esse videbantur; haud temere enim scarlatinae complicationem cum vomitu et diarrhoea timebant, quod nulla re magis perturbari exanthematis decursum videbant, quam diarrhoea profusa. Vomitus ac diarrhoeae, praesertim exanthema refugiens excipientium, caussam nostri majores in metastasi ponebant; nunc autem illa symptomata gastrica, quamquam interdum pendent ab indigestione, fere semper eruptioni, quam cutis exanthemati simillimam in tunica mucosa tubi intestinalis exsistere sectionibus edocti sumus, tribuenda sunt. Quam eruptionis formam primus Schoenlein, enanthematis usus nomine, opposuit exanthemati. Enanthema, quod in veram inflammationem atque etiam in gangraenam degenerare potest, non solum in tubo intestinali, sed etiam in renum tubulis et in Parotidis ductu excretorio inventum est, texturae membranarum mucosarum ne minima quidem abnormitate detecta.

Enanthema scarlatinosum, ad minima tubulorum Parotidis exordia progressum, facile parotitidem excitare

potest, quae non solum frequentior est in scarlatina, sed etiam, ut angina, praecipuum ejus symptoma exhibere, interdum quoque indurationem Parotidis sanatu difficilem relinquere potest. Neque vero admirandum est, quod omnibus reliquis scarlatinae symptomatibus praesentibus, uno exanthemate excepto, parotitis sine exanthemate scarlatinoso nobis apparet. Namque jam priorum temporum medici, hydropem universalem febrilem, qui post scarlatinam orto prorsus similis erat, etiam parotitidem interdum sequi observantes, affinitatem, quae est inter scarlatinam, sicut inter omnia exanthemata acuta, et parotitidem, satis cognitam habebant; huc accedit, quod parotitis eo plerumque tempore nascitur, quo exanthema scarlatinosum erumpit. — At ab hac parotitidis specie, quae, simulatque desquamatio exanthematis incepit, in resolutionem aut, quod rarius fit, in indurationem abire solet, alia separanda est species, quae inter desquamationem, exanthematis efflorescentia jamjam perfecta, in conspectum venit; hac specie affecti, nisi parotidis immensa intumescentia et angina, quae eam comitatur, respiratio plane impediatur indeque suffocatio exsistat, certo inflammatione ad malignam suppurationem celeriterque progredientem, aut ad gangraenam, quae omnes finitimas partes celerrime delet, propensa, plerique aegroti consumtis viribus mortem obeunt. Quae species ab Exanthemate deduci non potest, sed potius a materiae pathicae, quae criticam habet indolem, depositione pendere videtur. Interdum autem fit, ut quum nimia parotidis intumescentia sanguis,

quominus a capite refluat impediatur, venosi sanguinis stagnationibus cerebrum in sympathiam vocetur ejusque functiones opprimantur; qui status, si signa cerebri sanguine compressi excipis, palpebris quoque secundum respirationis rhythmum sursum deorsumque nictitantibus cognoscitur.

Nulli autem morbo certior et frequentior nascendi occasio praebetur, quam hydropi, quem inter diversi morbi nostri stadia duplicem esse videmus, primarium et secundarium.

Cum infantes, exanthemate scarlatinoso liberati, febris symptomatibus omnibus careant, optime se habeant, bene dormiant, ciborum appetentia et normali digestione gaudeant, et urina quidem saturata, tamen pathice non mutata sit, ideo, pulsuum frequentia per longius temporis spatium post exanthematis discessum manente, continuam organi cujusdam interni concitationem sive excretorii organi obstructionem opinamur, idemque concludere possumus, si febris symptomatibus jam remissis, inter desquamationem denuo pulsus frequentiores redeunt, simul animi depressio, cutis calida atque sicca, dolores in regione lumbali et extremitatibus, sitis aucta, lingua muco obtecta, nausea vel vomitus, alvi rariores; tum autem brevi anasarca, si nondum exstat, accessurus est.

Hi vero prodromi cum interdum ita sint modici, ut vix animadvertantur, donec oedema subito instantis mali

naturam patefaciat, per scarlatinae decursum semper medico urina contemplanda est, quae parca et saturata, rarius sanguinolenta, jam initio interdum albuminosa secernitur. Deinde palpebrae pallidae, facies, extremitates superiores et inferiores et universa corporis integumenta deinceps magis succulenta videntur, brevique oedema incrementum capit, urina parca persistente albuminisque aucta quantitate. Interea anasarca transit in hydropem universalem, cujus peracuti et rapidissimi casus praesertim scarlatinae speciem, quam supra latentem nominavimus, sequuntur, et mox offeruntur signa exsudationis in cranii vel thoracis vel abdominis cavis, aut simul in omnibus, quibus mors certa infertur.

De origine hydropis scarlatinam aut comitantis aut sequentis sententiae medicorum discrepant. Prioris temporis medici antagonisticum, et transpiratione cutis per eruptionem longo tempore oppressa et desquamatione perfrigerio turbata, eum esse censebant. Quo modo fieri posse hydropem, quamquam libenter concedamus, tamen cum jam totius morbi initio oedema animadverti et summa cura adhibita, omni perfrigerio vitato, hydropem exsistere videamus, maximam ejus caussam, recentioris aetatis explorationibus edocti, in renum affectione aut symphatica aut consecutiva ponimus.

Altera renum affectio, symphatica, consistit in sanguinis congestione, renes versus tendente, quae sicut ad cutem congestio scarlatinae contagio concitata, etiam in his excretionis organis quum exsudationem vel haemorrhagiam, quae urinam colore subfusco inficiunt, tum

enanthema, ut supra demonstravimus, eruptionem et deinde desquamationem peragens progignit. Quibus rebus comprobatis, nobis non est mirandum, quod jam initio exanthematis albuminuriam reperimus. Congestio vero cum in inflammationem commutetur, suppurationem renumque substantiae destructionem, quem Brightii morbum nominant, effici posse, quis est qui neget. Hinc globuli illi inflammatorii, hinc coagula fibrinosa cylindrica, quae in aegrotantium urina ab investigante medico deprehenduntur. Urinae autem excretione tantopere impedita, quid tandem aliud evenire potest, quam ut ubique hydrops prorumpat, et quae e sanguine sunt emittenda, ibi retentis, sanguis depravetur; sic haec excrementitia, quae in sanguine manent, non minus quam contagium scarlatinae proprium, signa illa nervosa narcosi simillima efficiunt, ut deliria, coma, soporem.

Praeterea autem non infitiandum est, etiam scarlatinae decursu absoluto, nimia liquiditate, quam sanguis ob depravationem contagio factam prae se fert, aut nimia virium prostratione hydropem gigni posse.

DE SCARLATINAE NATURA ET DIAGNOSI.

Omnibus, quae hactenus diximus, consideratis nullus fere est morbus, qui symptomatibus perspicuis et propriis, tantam varietatem, quod ad vim, decursum et exitum pertinet, praebeat, quam noster, qui omnium febrium videtur maxime mirabilis, inconstans, velut Proteus senex ille marinus nunquam sui similis. Si varias scarlatinae epidemias animo contemplamur, nun-

quam ullum ejus symptoma constans fuisse videmus, cum modo angina, modo exanthema, modo gastrica signa desint, interdum etiam febri, perpetuo omnium acutorum exanthematum comite, aegroti careant; corporis calor saepe paullo tantum vel ne minimum quidem a norma distat, denique interdum epidermis non desquamatur. Quare cum omnia signa primo praesertim morbi initio aut nulla aut non tam perspicua esse possint, ut diagnosis certa statuatur, necesse est, pauca me disserere de discrimine inter scarlatinam aliasque species febrilium exanthematum.

Exanthemata vero, quae scarlatinae simillima sunt, habemus morbillos, erythema, rubeolas, praeterea angina scarlatinosa sine exanthemate ab angina diphtheritica probe est discernenda.

1. In morbillis stadium prodromorum longe aliud est atque in scarlatina. Ut enim unusquisque morbus certum quoddam organon, in quo vehementius erumpit, sibi deligit, ita morbilli tunicam organorum respirationis et visus occupando catarrhum, sternutationes, raucedinem, tussim, conjunctivitidem ostendunt; contra scarlatinosae primae affectionis sedem praecipuam organa deglutitionis sistunt, multo majore pulsuum frequentia multoque majore cutis calore adjectis, quam in morbillis. Minus quoque temporis praeterlabitur, donec scarlatinae exanthema appareat; quod ipsum in utroque morbo quibus signis differat, hic non locus est disserendi. At velut rubedo scarlatinosa maxime in cutis partibus tectis ostenditur, ita maculae morbillo-

rum densissimae sunt in locis, quae aëris aditum patiuntur.

2. Scarlatinam ab erythemate facili negotio distinguimus, cum in hoc nec prodromi scarlatinae peculiares, angina, immensa pulsuum frequentia ardensque cutis calor, nec universa affectio vehementissima, nec exanthema tam rubrum colorem, tantam diuturnitatem, postremo desquamationem praebens, a nobis observentur.

3. Cum rubeolis, de quibus eadem sunt commemoranda, vix confundi potest scarlatina, praesertim si maculis rosaceis valdeque irregularibus consistunt.

4. Difficilis autem diagnosis est in scarlatina sine exanthemate, sed etiam huic signa interveniunt, quibus ab Angina diphtheritica dignosci possit. Primo epidemia scarlatinae ingrediente, ejus eruptione etiam in eadem familia aut domo aut in vicinitate observata, nova affectio, ad quam curandam vocamur, jam nostram suspicionem excitabit; deinde prodromi illi et symptomata regularem scarlatinam comitantia, ut febris continua vehementissima, pulsuum maxima frequentia, cutis ardor, linguae species urinaeque natura suspicionem augent scarlatinae vel confirmant, cum angina diphtheritica sensim sensimque minima universi organismi reactione, typo haudquaquam regulari evolvatur. Praeterea angina scarlatinosa simul per totam pharyngis membranam mucosam diffusa apparet, diphtheritica autem primum uno tantum loco circumscripta, unde paullatim ad diversas partes progreditur.

Difficillime autem, quin etiam nullo pacto morbum di-

gnoscere possumus in scarlatinae forma latenti, ubi neque angina nec exanthematis eruptio cernitur. Dolore et ardore capitis maximo signisque cerebralibus facile adduci possumus, ut meningitidem auguremur; morbis demum secundariis, aut post mortem veram affectionis naturam comperimus.

DE SCARLATINAE GENESI.

Morbi natura obscura est medico, neque minus obscuram invenimus ejus caussam. Specificum ei est contagium, aut fluidum et secretis excretisque aegrotantium adhaerens, aut vaporosae indolis atque in transpiratione fixum, virulentia semper per desquamationis morbi stadium summa conspicuum, cujus origo et natura ad hoc tempus tamquam velamine obductae sunt.

Neque magis exploratum est, utrum contagium, semel aliquando genitum in infinitum sese propagans, annis labentibus nonnunquam epidemiam excitet, an quibusdam conditionibus faventibus etiam per se denuo gigni possit. Id tantum certo scimus, contagio in homines nondum affectos scarlatinam posse transferri, semel affectos impetu scarlatinae superato fere omnes tutos esse. Inseri etiam posse id contagium, recentiori aetate observatum est, at spes, insitionem, quominus oriretur scarlatina, impedituram aut quidem illam mitigaturam, valde medicus experientes fefellit.

Caussae occasionales, quae infectioni favent, sunt tempus vernale, quod mensibus Apriti et Majo epide-

miae pleraeque oriuntur, aetas infantilis, quamquam aetate provectiores, rarissime etiam senes scarlatina irretiri videamus. Attamen, quod mirum est, haud raro fit, ut lactentibus epidemia, quae omnes reliquas familiae infantes corripuit, parcat. Quod ad sexum hominum attinet, nunquam in ulla epidemia discrimen observatum est. Epidemiae ut oriantur, coeli constitutionem annique tempus multum conferre verisimile est, atque iisdem, sicuti diversis in casibus diversae hominum constitutioni, etiam momenti aliquid inesse videtur, quo morbi vel bona vel mala indoles reddatur.

PROGNOSIS.

Quanta varietate morbus ipse utitur, non minorem in variarum ejus specierum exitu invenimus.

In simplici sive erethica scarlatinae forma universim prognosis fausta est, quamquam semper morbum quendam secundarium metuere, eumque tempestive praecavere oporteat; in irregularibus autem aut complicatis aut asthenicis formis magnum vitae imminet periculum, praecipue vero certa symptomata exitum lethalem praedicunt, qualia sunt virium vitalium summa prostratio, pulsus centum et viginti numerum excedentes, parvi et irregulares, sopores, deliria furibunda, convulsiones, subsultus tendinum, oculorum spasmus, diarrhoea exhauriens. In inflammatoria scarlatina prognosis omnino est dubia, in nervosa maxime ambigua, pessima autem in putrida, cum angina gangraenosa complicata.

Etiam e cutis et exanthematis indole quidquam auguramur. Illa si arida est et urens, malam, si humida ac turgescens et vaporosa, laetiorem prognosin reddit; malam contra extremitates frigidae, dorso calente. Alterius maculae si confluentes omnem cutem continua rubedine obducunt, pejorem, quam si discretae sunt, prognosin exhibent; item color exanthematis rubro-candicans meliorem quam subniger vel omnino obscurus. Quod ad desquamationem, prognosin auguramur bonam, si moderata, sin nimia, admodum dubiam, morbos nimirum secundarios timentes, aeque ac si exanthema subito evanuit.

Praeterea caussae quaedam in singulis sunt, quae periculum augent; sic apud infantes prima dentitionis periodus, ablactatio, cachexia parcis vel malis nutrimentis effecta, apud feminas graviditatis et puerperii tempus.

De prognosi in hydrope scarlatinoso constituenda haec judicamus. Dum solam subcutaneam telam cellulosam occupavit, minus periculi praebet hominisque constitutione valida ut plurimum est sanabilis. Si autem ad hydropem anasarca vomitus accedit, timendum est, ne exsudatio intra cerebri ventriculos fiat. Itaque maxime dubia prognosis est, si ascites et hydrothorax, pessima vero, si hydrocephalus et hydrorrhachis intrant, et dyspnoea, coma, convulsiones se ostendunt, quae plerumque mox mortem inferunt.

CURATIO.

Quam contra variolas vaccinatione, eandem vim prophylacticam contra scarlatinam Belladonna interne data exerceri, Hanhemann opinatur, neque defuerunt, vel viri clarissimi, ut Hufeland, qui illum secuti magno cum successu hoc remedium sese adhibuisse contenderent. Sed quum primum ad sanam mentem rediissent, jam antea multos infantes, nullo prophylactico adhibito, et a scarlatina liberatos et mitem tantum morbi impetum perpessos animadverterunt, et nunc illa sententia omnino rejicitur; neque quisquam his temporibus Belladonnam adhibebit, nisi ut placet animos angore grassante epidemia perniciosissimo sollicitatos, tum autem non magnis, ut praeteriti temporis medici, sed vere homoeopathicis dosibus utetur. — Alii Rheum, alii Calomelas aut Emetica aut Diaphoretica pro remediis prophylacticis venditaverunt, quae omnia non comprobata sunt. Quum vero de morbo contagioso agatur, praesertim illa remedia, quibus externe administratis quodque contagium deleri potest, ut Calcaria hypochlorosa et Chlorum cum Acido muriatico pro fumigationibus haudquaquam omittenda sunt.

Quod ad indicationem morbi ipsius pertinet, semper et genio epidemico et scarlatinae formae et complicationibus medendi ratio adaptanda est, ita ut scarlatina, quominus decursum regularem peragat, non impediatur, et si illius fines excesserit, remotis caussis

nocentibus, quantum fieri potest, coerceatur. Itaque ad singularum morbi specierum curam transeamus.

I. Simplex et mitis scarlatina saepe nihil aliud postulat, nisi diaetam, ad quam conclave spatiosum, cujus aërem neque calidum neque frigidum, sed tepidum et semper purgatum esse oportet, et levia corporis integumenta numeranda sunt. Sin affectionis initio vomitus appareat, simulque de doloribus in regione lumbali aut extremitatibus queratur aegrotus, praecipiendum est Emeticum, quod ut a renibus sanguinis congestionem avertat et ad corporis superficiem deducat, Demulcentibus et Diaphoreticis, quorum potissimum balneum tepidum est, adjuvetur. Deinde una vel duae Calomelanos doses dentur et postea salina, ut secretiones et excretiones sine vasorum irritatione incitentur.

II. Scarlatina inflammatoria per se minime indicat methodum strenue antiphlogisticam, imo morbi decursus illa perturbatur. Contra optimum effectum etiam hac in forma praestat emeticum ex Ipecacuanhae radice sola, aut cum Tartaro stibiato, tempestive porrectum, saluberrimumque deinde est gargarisma ex Amyli solutione, quae Nitrum aut Ammonium muriaticum continet, paratum, quo agrypnia valde minuitur. Postquam emetici totus effectus excitatus est, alvum aperiat Calomelas, cui Rheum, Jalapa vel Magnesia admisceantur, aut Oleum Ricini, aut Infusum Sennae compositum; ad moderandum cutis calorem multum valent lotiones aut balnea tepida. Ut, quantum fieri possit, complicationes caveantur; congestio sanguinis cucurbi-

tulis cruentis ad regionem lumbarem applicandis a renibus amovenda eorumque secretio expedienda est, quare fomentationes e terebinthina abdomini ac regioni lumbali imponantur.

Febri vero maxime evecta, angina phlegmonode deglutitionem et respirationem impediente, hirudines non solum non sufficiunt, sed etiam copia sanguinis ad locum affectum deducta nocet; propterea venaesectione utendum est, nec abstinendum a scarificationibus, quae eodem die saepius repetendae sunt. Etiamsi autem haec anginae species plerumque transit in suppurationem, tamen rupto vel secto abscessu aegri maximis molestiis liberantur, ulceraque relicta gargarismatis adstringentibus facile sanantur.

Longe aliter res se habet in Angina gangraenosa; dum enim in inflammatione pharyngis phlegmonosa et febri synochica magnum vitae periculum sanguinem uberrime detrahi jubet, in hac omnes totius terrarum orbis hirudines non obstant, quin gangraena oriatur. Quam quae terminent et extrudant, aptissima remedia sunt Calcaria hypochlorosa et Acidum muriaticum partibus affectis illata, praeter quae medicus gargarisma adstringens et antisepticum ad illas partes iterum atque iterum purgandas et ad usum internum imperet primo Mixturam oleoso-balsamicam, aut Naphtham aceti cum Tinctura cinnamomi et Infuso florum Arnicae, deinde vinum et Decoctum Chinae cum Acido muriatico, aut chininum sulfuricum in Infuso rosarum solutum, cui Acidum sulfuricum dilutum et Aether sul-

furicus addantur. Cuti balneis calidis, frictionibus et sinapismis irritata, haud raro fit, ut exanthema, si aut nondum affuerat aut subito refugerat, appareat, sopor evanescat, faucium intumescentia minuatur.

III. Scarlatinae torpidae saepe repentinus est impetus adeoque celer decursus, ut haud mora validissimas medendi rationes inire nos oporteat, et majus in dies incrementum et perniciosam complicationem timentes. Etiam hac in forma applicatio hirudinum ad cervicem aut pone auriculas facta, ad quam maximo anginae gradu adduci possumus, nullum usum praebet, immo perniciosa est, quum sanguine detracto diffusa phlegmone oriatur cum tumore parotidum consociata, sive inflammatio partium internarum etiam ad externas sese extendat, sive irritatio per ipsam hirudinum applicationem augeatur. Contra semper emeticum e radice Ipecacuanhae aut Zinco sulfurico consistens indicatum est, cujus effectus calido florum Chamomillae infuso adjuvetur, Terebinthinae fomentationibus haudquaquam omittendis. Tum autem ne vires succumbant, porrigantur medicamenta illa excitantia, quae supra in Angina gangraenosa comprobavimus. Quodsi morbi symptomata non sublata aut ne mitigita quidem sunt, denuo emeticum aegrotus sumat. Si vero signa cerebralia accedunt, primo, si epidemiae et constitutionis natura patiuntur, hirudinibus adhibitis sanguinis congestionem a capite removebit medicus ac magnas Calomelanos doses dabit, deinde autem Ammonio utetur carbonico, quod propria quadam vi cutis functionem incitare atque

ita scarlatinam ad sedem legitimam reducere videtur; saluberrimam sese adhuc praestitit Ammonii carbonici cum Infuso florum Arnicae consociatio. Praeterea balnea tepida multo Natri Chloreto admixto et superfusiones frigidae saepius iteratae maxime laudanda sunt.

IV. In scarlatina sine exanthemate et latenti id spectandum est, ut eruptio provocetur, interne Diaphoreticis (Liquore Ammonii acetici, Spiritu nitrico-aethereo), externis cutis irritationibus, ut sinapismis, cucurbitis siccis, frictionibus, balneis calidis, quibus alcalia immisceas.

De parotitide scarlatinosa ipsa nihil habeo, quod dicam, cum simplex aut simul cum exanthematis discessu aut ejus tempore in resolutionem transeat, induratio autem et gangraena, e parotitide orta, sicut omnis induratio et gangraena tractanda sit. — Supra vidimus, nimia parotitidis magnitudine cerebrum sola ratione mechanica in sympathiam vocari posse; quare hirudines semper cum sucessu applicantur, neque ullum remedium melius potest inveniri.

In hydrope scarlatinoso remedium efficacissimum, resorptionem optime incitans, est venaesectio, quam etiam in infantibus primum vitae annum agentibus sine metu et mora adhibere licet; in universum methodus antiphlogistica, quae simul et diuretica esse potest, donec urina sanguinolenta apparet, indicatur, quare optima praescriptione, herbae Digitalis purpureae parvis dosibus cum Tartaro depurato, etiam hoc in casu utimur. Ut vero urina languido-flava est facta, item in infanti-

bus cachecticis, cura antiphlogistica et diuretica repudianda, atque necesse est, Ferro et Tonicis datis, sanguinis depravatio impediatur numerusque corpusculorum sanguinis augeatur.

Priusquam disserere desinam, non possum, quin externi remedii mentionem faciam, ut specifici, ante haud multos annos commendati, dico infrictiones lardi, quas Schneeman Hanoveranus certa methodo in scarlatina adhibet. De quibus ipse contendit haec: iis non solum a perfrigerio corpus tutum reddi, sed etiam ardore et siccitate cutis maxime mitigatis, fere plerumque sublatis, functiones cutis instaurari posse; quam ob caussam desquamationem non intrare simulque cum ea complicationes, quae illud stadium plerumque comitentur, id quod finem morbi valde acceleret, denique cutem infrictionibus, contagium quominus propaget, impediri. Nonnulli medici, hoc remedio usi, magnam utilitatem ex eo redundasse contenderunt, alii autem cum nec desquamationem impeditam nec morbi totius diuturnitatem imminutam viderint, equidem assentior Eisenmanno, qui nullum alium effectum infrictionum esse ait, quam quibus, sicuti aliis corporis integumentis, ab aëris circumdantis nimia irritatione cutis defendatur.

VITA

Natus sum ego Gustavus Ferdinandus Hertzog, die sexto mensis Februarii A. 1822 Ascaniae, Saxonum oppido, patre Friderico Hertzog, matre Christina e gente Berger, quos mortuos deploro. Confessionem profiteor evangelicam. Quum primis litterarum elementis in gymnasio urbis patriae, tum in Quedlinburgensi, deinde Nordhusano per annos octo imbutus essem, e classe secunda discessi, et, ut medicinae et chirurgiae studerem, ad scholam medico-chirurgicam Parthenopolitanam directore Ill. Andreae florentem me contuli. Ibi per biennium et semestre hasce scholas frequentavi:

De historia naturali, de universa anatomia et de arte cadavera rite secandi, de anatomia pathologica, de physiologia, de pathologia, therapia, chirurgia et generali et speciali, de arte fascias imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de materia medica et de arte formulas medicas rite concinnandi, de akiurgia et de operationibus chirurgicis in cadavere instituendis, de ophthalmiatrice. Scholis clinicis et chirurgicis et medicis duo per semestria interfui. Deinde Berolinum profectus sum, ubi ab Ill. Klug inter chirurgiae studiosos receptus, semestria duo interfui exercitationibus clinicis medicis Ill. Wolff; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken; obstetriciis Ill. Busch. Praeterea lectiones Ill. Casper de medicina forensi adii.

Absolutis examinibus practicis medico-chirurgicis et obstetriciis, Spandoviam migravi officiis militaribus in cohorte praetoriana pedestri sub auspiciis G. Lange satisfacturus et post annum chirurgus Cl. I. Meisdorfii medicinam et chirurgiam factitavi.

Anno 1852 Halam me contuli et privatim literis eruditus testimonium maturitatis in Gymnasio Halensi directore Ill. Eckstein florente adeptus sum. Tempore paschali a. 1852 Berolini inter cives academicos receptus per annum hasce audivi lectiones: de physice Ill. Dove; de Chemia Ill. Mit-

scherlich; de mineralogia Ill. Weiss; de botanice Ill. Schultz; de zoologia Ill. Lichtenstein; de psychologia Ill. Benecke; de logice Ill. Michelet; de physiologia comparata Ill. Ehrenberg; de anatomia microscopica Exp. Remack; de morbis infantum et de arte percutiendi et auscultandi Exp. Ebert; de animi morbis Ill. Ideler; de medicamentis excitantibus Ill. Mitscherlich; de therapia speciali Ill. Romberg. Ill. Langenbeck in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Ill. Romberg et Ill. Schoenlein in clinico medico duces habui.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, quam possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Sectio caesarea praeferenda est infantis perforationi.
2. Femina gravida esse potest, nescia se esse gravidam.
3. Abscessum majore incisione aperiri praestat.
4. In arsenici usu nullum est periculum.